

Vossig de tribus Symbolis.

Calixti Praeemium in Augustini libros 4 de doctrina Christiana et Vincentij commentationem.

Oratio panagyrica.

Disputat. de Paulis.

de Baptismo & Eucharistia

de Sacro Santa Domini coena.

de statu animarum separatarum et.

Decem in Jho. Arrianos.

Programma. Jho. Neubisium.

~~de~~
Hypotyposis Jho. Bugserum.

DISPUTATIONVM THEOLOGICARVM
QVINCTA,

DE PECCATO.

CVIVS THESES
AVSPICE DEO OPT. MAX.

SVB PRAESIDIO
M. GEORGII CALIXTI
HOLSATI

IN ILLVSTRI ACAD.
IVLIA

X. Kal. Quinctil.

DEFENDET
LVDOLPHVS CALENIVS
TIDENSIS.



Helmæstadij Saxonum

Ex officinâ typographicâ IACOBI LVEII,
ANNO

clv lxxxi.



Amplissimis, genere, virtute & doctrinâ præstan-
tissimis viris,

Dn. BURCHARDO Nap/ hæreditario in
Tide & Haseel.

Dn. HENRICO Hensyck/ cœnobij Steterbur-
gensis præposito dignissimo;

Dn. GEORGIO Buttner/ senatori inclytæ
reip. Mindensis;

Dn. ANDREAE Wackern/ notario publico:

Amicis & patronis perpetua animi obser-
uantia colendis

hanc disputationem Theologicam
submitte & officiosè
offert

Resp.

Viro præstantissimo,

DN. HENRICO HENSYCK,

Præposito Steterburgensi, amico
veteri.



Vnc quoq; commendo tibi, vir spectate, clientem,
Et rogo patronus mitis ut esse velis.

Quid faciat cernis: iactlo fundamine tendit
Altius, & totus vult sacer esse Deo.

Quod potes, & factum memini persapè, iuuato
Nunc etiam, & laudi consule ritè tua.

Henricus Meibomius, Poëta
& Historicus.



DISPUTATIO V.
DE PECCATO.

Resp. LV DOLPHO CALENIO Tidenfi.

THESIS I.



Voluntatem Dei de nobis seruandis & liberandis è malis in quæ præcipites dati sumus, rectè cognoscemus ex sacrâ scripturâ, eius voluntatis teste ac indice; vbi priùs quodnam illud malum, & quotuplex, & quale ex eâdem cognouerimus.

II. Peccatum igitur quum sit quod nos Deo inuisos reddat, & ab eius gratiâ seclusos miseriarum & poenarum reos faciat, de peccato hoc loci tractationem instituemus, vt eò commodiùs cognito morbo, de remedijs cogitemus, & qualia ea nobis diuinitùs concressa sint, consideremus.

III. Peccatum benè & perspicuè describit Ioannes ^{1. Epi. cap. 3. v. 4.} *μαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία.* Quicquid igitur contra legem Dei est, peccatum est, siue sit commissio, siue omissio, siue habitus, siue dispositio, siue priuatio, siue conuascatur, siue agatur.

IV. Summam autem legis contineri testatur Christus primo hoc & maximo mandato: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ mente tuâ, & ex totis viribus tuis.* Et secundum ait esse simile huic: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* ^{Matt. 22, 37. Marc. 12, 30.}

V. Quoniam verò peccatum in mundum per primum hominem introijt, & hic ante commissam diuini mandati transgressionem peccato fuit intaminatus, ad cognoscendam ex oppositis peccati naturam, vtile erit considerare, qualis homo

N

ini-

initio fuerit conditus, quid lapsu amiserit, & qualis post ex-
stiterit.

Gen. 1, 26
& 27.

V I. Conditus est homo ad imaginem Dei. Imago Dei non potest esse in ipsa essentiali ratione hominis. Neq; enim Deus animam habet & corpus; neq; homo essentiam suam in lapsu amisit.

V II. At nec talis imago in ratione animæ rationalis consistit. Non enim dixit Deus: Faciamus animam; sed faciamus hominem ad imaginem nostram. Est quoq; anima imperfecta natura, respectum habens ad corpus, corporeisq; organis in obeundis suis muneribus vtens; qualis imago Dei dici nequit. Deniq; imaginem Dei homo cum amisit, animam non amisit.

I I X. Restat itaq; imaginem Dei non in substantiâ verum in accidentibus esse; & quidem proprijs. Hæc autem alia naturam humanam ita consequuntur, vt ei vi naturalis suæ perfectionis debeantur, neq; abesse possint, nimirum intellectus & voluntatis naturales potentia ad res intellegendas & eligendas; atq; has imaginem quamdam perfectionis diuinæ referre quis negabit? Verum nos negamus hoc sensu scripturam imaginem Dei accipere, eiq; imaginem Adæ opponere.

I X. Alia itaq; erit imago Dei multis modis perfectior & excellentior, quæ non debita sit homini ratione suæ naturæ, sed sit donum merè gratuitum & supernaturale, nempe quod sicut Deus intelligentissimus est, optimus, iustissimus, liberrimum agens: ita quoq; in primi hominis intellectu fuerit cognitio sui conditoris, quoad essentiam & voluntatem eius, quæ bonum & perfectio intellectus summa est; in voluntate inclinatio & perfectus Dei cogniti amor, procedens ex libero voluntatis arbitrio; in parte demum inferiore siue facultate adpetente suavis & promptus cum superiore intelligente & volente consensus.

10. Sen-

X. Sententiam hanc nostram disertè confirmat Paulus & adseuerat hominem τὸν κτ̄ Θεὸν κτισθέντα, ἐν δικαιοσύνη καὶ ὁσιότητι Eph. 4, 24. τῆς ἀλήθειας. Colossenses exuere iubet veterem hominem & Cap. 3. v. 10. induere nouum, eum qui renouatur in agnitionem secundum imaginem eius qui creauit illum. Post subiungit: Induite igitur (ve electi Dei sancti & dilecti) viscera miserationum, benignitatem, modestiam, mansuetudinem, lenitatem.

XI. Hæc concreata erant homini, ita vt substantiam eius naturaliter consequerentur sine speciali auxilio. Semel monemus nos quando in hac disputatione naturale dicimus, non intelligere id quod ab intrinseco & per se fit naturale siue constituens naturam humanam, vt forma substantialis; siue fluens ex principijs naturæ, vt naturales potentiæ & earum propensiones: verùm quod licet extrinsecùs accesserit, connascatur tamen, tamquam si proueniret è principijs naturalibus. Atq; hoc sensu dicimus iustitiam vniuersalem fuisse naturalem homini, hominemq; naturaliter consequutam, id est ab ipso ortu & origine eius.

XII. Per lapsum verò & neglectum transgressionemq; mandati diuini voluntariam (quum obedire facillimè potuisset) ipso facto auertit se à conditore suo, incurrit in iustitiam infinitam, reus fit iræ & pœnarum læsæ maiestatis.

XIII. Amittit igitur bona & dona ista, quibus recedentibus succedit in intellectu ignorantia & caligo; in voluntate auersio, fuga & odium Dei, quippe quum bonitatem diuinam intellectus non adprehendat, non potest ad eam inclinari voluntas. Demum sublatâ concordiam superioris & inferioris partium oritur dissensus, ita vt licet quædam bona intellectus quodammodo cognoscat, & voluntas adprobet, auersetur tamen adpetitus sensituius, inclinans tantum ad ea quæ sibi congrua & iucunda. Gen. 3, 10.

XIV. Ex deprauatâ hunc in modum naturâ oriuntur &

eliciuntur actus atq; habitus cuiuscumq; generis pravi & viciosi. Nam mala arbor non potest bonos fructus facere.

XV. Hinc manifestum est, sicut originalis iustitia universalis fuit iustitia, ita in eius amissæ locum successisse universalem iniustitiam.

XVI. Et sicut substantiam hominis immediatè & naturaliter illa ante lapsum consequebatur; ita consequitur post lapsum ista.

Gen. 5,3. XVII. Vnde quicumq; ab Adamo humanam substantiam trahunt, & illam vnà tamquam accidens inseparabile trahunt. Quippe Adam liberos gignit naturâ filios iræ, hoc est *secundum imaginem suam* quæ qualis deperditâ imagine Dei iam sit; ostendimus.

Gal 5, 19. Gen. 8,21. XIX. Ex mala istâ radice in omnibus filijs Adæ mali fructus, quos Apostolus opera carnis adpellat, pullulant, ita vt cognitiones cordis eorum malæ sint à pueritiâ; Et sic malum, quod à parentibus ad ipsos descendit malis voluntariè superadditis cumulent.

XIX. Hinc nascitur (vt liquido adparet) distinctio peccati in Originale & Actuale.

Rom. 5,19. XX. Originale in primo homine nullum fuit, sed hoc est quod ab illo primo in omnes deinceps transiit, de quo Paulus: *Per inobædientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.*

XXI. Quid autem in primo isto peccato considerari possit ex superioribus haut obscurum est.

XXII. Primum est ipsum peccatum, culpa seu transgressio.

XXIII. Alterum est reatus, per quem, qui culpam commisit, peccator dicitur & obnoxius est pœnis temporalibus & æternis.

XXIV. Tertiò ipsæ pœnæ, priuatio scilicet imaginis diuinæ & susceptio contrariæ in naturam peccatricem, vnde porro

porrò ea malum operatur, iramq; sibi & poenam accumulatur.
XXV. Hæc omnia suis modis dici possunt ab Adamo in
posteris deriuari. I. Culpa, quatenus omnes potentiâ fuimus
in lumbis Adæ peccantis, atq; ita omnes vnâ cum ipso pec-
cauimus.

XXVI. II. Reatus, quatenus qui culpam commisit ad pœ-
nam ordinatur & obligatur.

XXVII. III. Hoc peccatum è vestigio consequatur
corruptio naturæ, ita vt pro sanctâ & integrâ esset corrupta,
non quidem quoad esse substantiæ, sed quoad acciden-
tia in substantiâ. Sicut itaq; ante integritas essentiam Adæ
naturaliter & permanenter ad modum habitus comitabatur;
ita nunc corruptio. Ergo quia essentiam ab Adamo trahi-
mus, trahimus talem, à quâ prauitas naturaliter abesse ne-
quit, talem videlicet, qualis in ipso est iuxta imaginem eius.

XXVIII. Hæc prauitas siue imago Adæ residet in tribus
illis animæ potentijs, quæ homini, quæ homo est, competunt,
Intellectu puta, Adpetitu rationali & altero qui non per se,
sed per communicationem rationalis est.

XXIX. Ducimus, inquam, ab Adamo intellectum na-
turaliter caliginosum, voluntatem à summo bono auersam,
adpetitum refractarium.

XXX. Hæc est ipsissima ratio mali originalis. Nam cul-
pa Adæ non potest esse peccatum in nobis, nisi contra scriptu-
ram Christus quoq; peccato contaminatus dicatur. Nam
& ille fuit in lumbis Adæ peccantis.

XXXI. Deinde non vna foret ratio peccati originalis in
omnibus. Nos enim, qui postremis temporibus viuimus, o-
mnium maximè eo polluti essemus, qui fuimus in lumbis plu-
rium peccantium. Imò foret diuersitas inter nos ipsos. A-
liorum enim parentes leuiùs peccarunt, aliorum grauiùs. Et
quid? quum eadem sit ratio, quur non in maioribus quoq;

benefecimus, ita vt propagentur etiam bona opera? quur non culpam per pœnitentiam deleuimus?

XXXII. Adde quod secundum voluntatem non fuimus in lumbis Adæ. Anima enim iuxta Pontificios & Bellarminum non est ex traduce.

XXXIII. Quare peccatum originis in nobis non est ipsa culpa à parentibus commissa; & quia culpa non est, nec est reatus, quum apertè quoq; scriptum sit: *Filius non portabit iniquitatem patris*, si videlicet ipse eam non adprobet aut imitetur.

XXXIV. Formalis itaq; ratio peccati originalis est imago Adæ, quam post perpetratum delictum imagine Dei priuatus suscepit, & ad posteros vnà cum substantiâ propagat.

XXXV. Hæc autem, vt videre est, maximam obtinet rationem peccati. Maximè enim repugnat legi, quæ totam animam & omnes vires in honorem & amorem Dei impendi vult, & proximum diligi iubet, sicut seipsum; quamcumq; demum concupiscentiam prohibet & damnat.

XXXVI. Incurrit igitur homo ob tale originis peccatum in maledictionem legis, & iram Dei, vnde Paulus dicit, nos naturâ filios iræ esse.

Deut. 28, 58
Eph. 2, 3.

XXXVII. Natura scilicet corrupta est, non tantum culpam & reatum parentum participans, sed quæ ipsa non possit non peccare. Vnde à primo instanti conceptionis, imò vel in lumbis parentum non est nisi in potentiâ ad peccandum; quæ educitur in actum mox in ipsâ infantili impatientiâ, inobœdientiâ, propensione ad malum.

XXXIIX. Quod autem naturale siue originale malum sit caligo intellectus, auersio voluntatis & rebellio adpetitus, siue quod hæc ipsa sint peccatum illud originale, perspicuis scripturæ testimonijs probari potest de singulis. De Intellectu Rom 12, 2. *Renouamini nouitate mentis vestra.* 2. Cor. 3, 5.

No 13

Non sumus idonei ex nobis ipsis ad cogitandum quicquam, tamquā ex nobis ipsis. 1. Cor. 2, 14. Homo ψυχῆς non percipit ea quae sunt Spiritus Dei. stulticia ei sunt. Eph. 4, 17. Gentes ambulanti in vanitate sensus sui, tenebris obscuratū habentes intellectum, alienati à vitā Dei per ignorantiam, quae est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum. Gen. 8, 21. Figmentum cordis humani malum est à pueritiā. Est hic vocula ἰδέω, quae significat conceptiones & intellectus & voluntatis, siue cogitationes & desideria, quae & Paulus vocat voluntates carnis & cogitationum Eph. 2, 3. τὰ θελήματα τῆς σαρκὸς καὶ διανοιῶν. De adpetitu sensuum: Gal. 5, 17. Caro concupiscit aduersus spiritum. Rom. 7, 19. Non facio bonum quod volo, sed malum quod nolo hoc ago &c. Rom. 8, 7. Φρόναμα τῆς σαρκὸς inimicitia est aduersus Deum. Rom. 6, 6. dicitur veterem hominem crucifigendum esse & corpus peccati destruendum.

XXXIX. Ex hisce probè intellectis facile cognoscuntur & refelluntur contrarij errores Amb. Catharini & Alb. Pighij, qui peccatum originis nihil aliud esse volunt, nisi primam illam Adæ inobœdientiam actualem, quae sit in paruulis imputatione non reipsā; atq; ideo peccatum originis vnum esse in omnibus.

XL. Hanc sententiam, contra Concilium Tridentinum esse vult Bellarminus, atq; eam refutat, neq; tamen ipse multo saniora docet, quae vt intellegantur quaedam ex ipso repetemus.

l. 5. de amiss
gratiae &
statu pec-
cati cap. 17.

XLI. Peccatum, inquit, bifariam accipi solet. Vno modo pro liberā transgressione praecepti: Alio modo pro eo quod remanet in animā peccatoris post transgressionem illam. Quamuis autem hoc aliquo modo sit effectus actionis, tamen est etiam aliquo modo idem cum ipsā actione, & ideo non per figuram metonymiae, sed propriè dicitur peccatum, & duplex illa significatio peccati non est significatio duarum rerum, sed vnius alio atq; alio modo se habentis.

Cap. 17.

XLII. Ipse videat, quomodo actio & relatio, causa & effectus

effectus

fectus vnum sit & idem. Sententia verò eius ex hoc principio ita habet. *Si quis igitur à nobis querat, inquit, quid propriè sit originale peccatum, respondebimus cum distinctione ad hunc modum. Si peccatum pro actione cum lege pugnante accipiat, peccatum originale est prima Adami inobœdientia, ab ipso Adamo commissa, non ut erat singularis persona, sed ut personam totius generis humani gerebat. Si verò peccatum accipiat, quod residet in homine post actionem, & unde idem homo non peccans sed peccator nominatur; peccatum originale est carentia doni iustitiæ originalis, siue habitualis auersio & obliquitas voluntatis, quæ & macula mentem Deo inuisam reddens adpellari potest.*

LXIII. Hæc si quis consideret, videbit Bellarminum vanam tantum oculis hominum nebulam offundere, peccatum originis prorsus pro nullo ducere, & idem cum Pighio dicere.

XLIV. Præsertim si adiungatur alterum eius principium, *lib. 1. cap. 1. Definitio puta peccati, quod ait esse Dictum vel factum vel lib. 5. cap. 18 concupitum contra legem Dei. Item. Omne verum peccatum essentialiter habet ordinem ad voluntatem liberam, ita ut si aliunde quam à liberâ voluntate nascatur, verum peccatum non sit. Itaq; an peccatum voluntarium esse debeat, non solum causa, sed etiam essentiæ quæstio est; nec ullo modo imputari potest ad culpam, quod nullo modo à liberâ voluntate processit.*

XLV. Definitio ista arcta nimis est, & non modò non omne peccatum in genere, sed nec Actuale integrum includit; verùm id tantum, quod commissionis est. Alterum principium est peregrinum ad moralia & ciuilia pertinens, non ex S. Scripturâ, sed ex tertio potius Ethicorum Aristotelis depromptum.

XLVI. Sed videamus ex hisce principijs, quid sibi velit Bellarminus. Ait peccatum originis si pro actione accipiat, esse primam Adæ inobœdientiam. Peccatum autem pro actione acceptum verum iuxta ipsum peccatum est. Inobœdien-

dientiaè verò Adami denegatur hoc respectu nostri; neq; enim nostra actio est, denegatur igitur ipsa definitio peccati Pontificia, & id quod essentialè vult esse in omni peccato, nimirum vt à liberâ voluntate procedat.

XLVII. Peccatum itaq; originis iuxta Bellarminum in nobis verum peccatum non est, nec vlllo modo nobis imputari potest ad culpam, quod nullo modo à liberâ nostrâ voluntate processit. Nam inobœdientia Adami non processit à nostrâ voluntate, nisi effectus multò prior sit causâ.

XLIIII. Quamobrem transgressio Adami non est verum, proprium, reale peccatum nostrum; sed tantùm rationale siue imputatiuum. *Solus enim Adamus* (verba sunt ipsius Bellarmini) *actuali voluntate illud commisit: nobis verò communicatur per generationem eo modo, quo communicari potest id quod transit, nimirum per imputationem.* Cap. 17.

XLIX. Nunc videamus de altero. Ait peccatum originis si accipiatur pro eo quod remanet in animâ peccatoris post transgressionem, esse auersionem mentis à Deo, siue carentiam iustitiæ originalis.

L. Aut det definitionem, quæ & hoc & illud peccatum includat, aut ingenuè concedat aliud esse causam, aliud effectum, atq; hoc non esse verum peccatum, sed tantùm æquiuocum.

LI. Sed nihil ipse aliud vult, vtut simulet. Verba eius sunt; *Quidquid dicamus in paruulis ex Adami peccato herere, siue reatû, siue auersionem, siue gratiæ priuationem, siue quid aliud; illud nullo modo paruulis vicio dari, ac ne esse quidem poterit, nisi processerit ab actione liberâ, cuius actionis illi aliquo modo participes fuerint. Ac reatus quidem cum sit relatio consequens actionem, quâ ratione fieri potest, vt existat in eo, qui non est particeps actionis? Auersio habitualis, nisi præcesserit actualis, ne intelligi quidem potest.* Cap. 18.

LII. Iam ostendimus, & manifestum est transgressionem

O

Adæ

Adæ non processisse à nostrâ voluntate; neq; nos istius actionis, quâ talis, participes esse, neq; nostræ voluntatis, quæ tum nulla fuit, auersionem vllam actualem fuisse.

LIII. Quoniam igitur illa actio verè & propriè nobis tribui non potest, neq; nobis tribui potest quidquam eorum, quæ remanent transeunte actione. Præsertim quum iuxta Bellarminum, quod remanet post actionem, sit aliquo modo idem cum ipsâ actione. Remanere verò dicit hæc octo: I. priuationem innocentia. II. Reatum culpæ. III. Reatum poenæ. IV. offensam. V. dispositionem. VI. auersionem voluntatis. VII. priuationem gratiæ. IIX. maculam.

LIV. Sicut igitur actio illa non potest nobis imputari ad culpam, ita nec auersio. Et sicut illa non est in nobis aliquid reuera inhærens, neq; habet veram peccati rationem; ita nec ista. Et sicut illa in omnibus vna est & eadem per nudam imputationem; ita & ista.

LV. Hæc ex principijs, quæ Bellarminus agnoscit, bonâ consequentiâ deduci manifestum est. Eadem igitur quæ in Catharino & Pighio damnat, ipse confirmat, & nihil nisi fumum vendit, vt aliquo modo obscuret & inuoluat, crassos quos Tridentini & Pontificij amplectuntur errores.

LVI. Vera & sincera est sententia quam proposuimus, quod scilicet peccatum originis non sit ipsa culpa Adæ, nec sit reatus consequens culpam; verum prauitas naturæ; non tamen sine relatione ad primam culpam, cuius est tamquam effectus immediatè consequens. Sic ait August. l. 2. de nupt. & concup. 26. *Voluntarium peccatum hominis primi, originalis est causa peccati.* Hæret itaq; in nobis aliquid, & peccatum originale dicitur, quod non est ipsa illa prima Adæ præuariatio, sed aliquid aliud ab ipsâ manans.

LVII. Optimè autem cognoscitur, vt antè ostendimus ex oppositâ integritate; quæ sicuti in intellectu erat cognitio, in
volun-

voluntate amor & pronitas ad benefaciendum, in adpetitu obsequium & concordia cum superioribus facultatibus; ita prauitas hæc in intellectu est ignorantia, in voluntate pronitas ad malefaciendum, in adpetitu rebellio.

LII. Et sicuti in integritate siue ad imaginem Dei conditus erat homo: ita nunc in prauitate siue ad imaginem Adæ gignitur.

LIX. Et sicuti si homo non peccasset, integritas naturam humanam semper & inseparabiliter consequuta fuisset, & vnâ cum illâ ad posteros propagata: ita postquam homo peccauit, prauitas eam concomitatur & propagatur.

LX. Et sicuti integritas fuisset tamquã actus primus, actus autem secundus ex illo primo natus, studium & exercitium integritatis: ita nunc prauitas ista connata est actus primus; actus autem secundus est prauitas prauum actum producens.

LXI. Atq; hoc notandum est. Nam in Adamo simul fuit vterq; actus prauitatis. In infantibus verò, vbi desunt organa, per quæ produci possit actus secundus, non est nisi actus primus; sicut in iisdem non est intellectus intellegens, sed tantum in actu primo. Statim verò ac organa apta sunt, intellectus qui potentiã erat intellegens, actu fit intellegens, & tunc simul est actu & primo & secundo: ita quoq; prauitas quæ in infantibus est actu primo ad modum habitus, successu etiam erit actu secundo, siue & habitualis & actualis.

LXII. Actualis autem auersio est peccatum actuale quatenus à nobis & nostrâ voluntate proficiscitur; originale est, quatenus à connatâ & habituali illâ tamquam effectus à causâ procedit, & actus est secundus eius, quæ actus est primus.

LXIII. Sed de actuali peccato postea agemus. Superfunt enim quæ de originali adhuc monere oportet.

LXIV. Originale per Baptismum ita deleri volunt Pontificij, vt prorsus non sit. Demonstrauimus autem antè id na-

Rom. 7.

turam humanam naturaliter consequi. Baptismus verò naturam non immutat; neq; quod eam consequitur abolet. Porro in Baptismo remittuntur peccata. Sed remitti hoc non est non esse, verùm non imputari, vt patebit in disputatione de iustificatione. Deinde hoc peccato, quòd obnoxius ei sit, disertè conqueritur Paulus.

cap. vlt.

LXV. Augustinus multis locis præclare nostræ doctrine ad stipulatur. Lib. 1. de pecc. mer. & remiss. *Nec grandibus, inquit, hoc præstat in baptismo, nisi fortè miraculo ineffabili omnipotentissimi creatoris, vt lex peccati quæ inest membris repugnans legimentis, penitus exstinguatur & non sit, sed vt quidquid mali ab homine factum, dictum vel cogitatum est, cum eidem concupiscentie subiectâ mente seruiret, totum aboleatur, ac velut factum non fuerit, habeatur.* Lib. 6. cont. Iulianum c. 6. defendit illam suam sententiam, *dimitti concupiscentiam carnis in baptismo non vt non sit, sed vt in peccatum non imputetur, quamuis autem reatu suo iam soluto, manet tamen. Aduersus hæc mea verba, (Iulianum adloquitur) sic argumentaris homo acutissimus, tamquam ipsam concupiscentiam dixerim per baptismum reatu liberari, quoniam dixi, reatu suo iam soluto: velut suo dixerim, quo ipsa rea est, eoque soluto illa permaneat absoluta. Quod utiq; si sensissem, profectò eam malam non esse dicerem, sed fuisse.*

LXVI. Quamobrem falsa est hæc quoq; Pontificiorum Cap. 7. lib. 5. Tridentinorum & Bellarmini adsertio: *Natura corruptionem siue concupiscentiam, qualis remanet post baptismum in regeneratis, non esse peccatum originis, non solum, quia non imputatur, sed etiam quia imputari non potest, cum nullum sit ex se vel ex naturâ suâ peccatum.*

LXVII. Volunt itaq; Pontificij auersionem illam voluntatis habitualement (de qua supra ex Bellarmino) tantùm esse peccatum originis. Tenebras autem mentis & rebellionem adpetitus non esse; alioquin & hæc per baptismum è naturâ tollerent.

68. Ve-

LXIIII. Verum nos supra ex opposita integritate ostendimus, quod imago Adæ tam in intellectu & appetitu sit quam in voluntate. Et Christus non minus ignorantiam & concupiscentiam non suscepit, quam auersionem. Suscepit verò solo peccato originis excepto, naturam humanam, & quidquid eam consequitur, etiam famem & sitim.

LXIX. Augustinum consulant velim, qui lib. de pecc. mer. & remiss. c. 36. ubi agit de recentium natorum profundissima ignorantia, & mentis rationalis tenebris, in quibus & Deum prorsus ignorant, An nullum est, inquit, ignorantia malum, & non ideo purgandum? Et quid agit illa vox, Delicta iuventutis & ignorantia mea ne memineris? Etsi enim damnabiliora peccata sunt, Psal. 24. quæ à scientibus committuntur, tamen si ignorantia peccata nulla essent, hoc non legeremus quod commorari: Delicta iuventutis & ignorantia mea ne memineris. In illas igitur ignorantia densissimas tenebras, ubi anima infantis recentis ab utero, utiq; anima hominis, utiq; anima rationalis non solum indocta, verum etiam indocilis manet, quare, aut quando, aut unde contrusa est, si natura est hominis sic incipere & non iam vitiosa est ista natura. Sic quoq; Hugo (vt recentiorum quoq; testimonio eos conuincamus) lib. de Sacram. part. 7. Originale peccatum est vitium quod nascendo contraximus per ignorantiam in mente, & concupiscentiam in carne.

LXX. Quoniam igitur concedente Bellarmino, auersio est peccatum originis, eiusdem iuris sit ignorantia & concupiscentia; Et quoniam neq; hæc neq; ista deletur per baptismum, neq; delebitur illa. Est enim omnium eadem ratio.

LXXI. Quod autem concupiscentiam vel fomitem, (vt vocant) verum peccatū esse absurdè negent ex dictis liquet. Est enim carentia iustitiæ originalis debitæ inesse. Et est manifesta *avopía*, siue accipiatur pro actu primo siue pro secundo, pro concupiscentiâ siue habituali siue actuali.

Rom. cap. 7
vers. 19.
vers. 21.
vers. 23. LXXII. Et Paulus manifestè peccatum adpellat aliquo-
ties; Et malum quod nolit se agere dicit; Et malum sibi adia-
cere; Et se legi peccati captiuum sibi à lege quæ sit in mem-
bris repugnans legi mentis, quippe scientis & adprobantis
legem diuinam.

vers. 24. LXXIII. Demum exclamat: *Miser ego homo, quis me li-
berabit de corpore mortis huius?* Scilicet ob rem nihili, & quæ
nullum peccatum sit, ita exclamat Paulus & miserum se præ-
dicat.

Hebr. 7, 26. LXXIV. Porrò scriptura neminem peccati originis im-
maculatum nasci tradit præter Christum. Talis enim dece-
bat, vt esset nobis pontifex, ὅσις, ἀκακός, ἀμίαντος, κενω-
ρισμῶς ἀπὸ τῶν ἀμαρτωλῶν.

Rom. 5, 12. LXXV. De cæteris omnibus, qui per carnalem generati-
onem ex semine Adæ nascuntur, in hunc modum docet: *Per
vnum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per pec-
catum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes
peccarunt. Per vnius delictum in omnes homines in condemnatio-
nem scilicet peccatum venit. In Adamo omnes moriuntur. Era-
mus naturâ filij iræ, sicut & ceteri:* Atq; hæc dicit Apostolus,
qui erat de genere Israël, tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis.
Eph. 2, 3. Philip. 3, 5.

lib. 4, c. 14.
& seq. LXXVI. Scripturæ itaq; sententia est: *Omnes homines natu-
rali modo concepti & nati obnoxij sunt peccato originis.* Huic con-
tradictoriam opponunt Tridentini & Bellarminus: *Quidam
homo non est obnoxius peccato originis.*

LXXVII. Excipiunt enim matrem Domini. Mirum quòd
non auiam quoq; & abauiam.

de nat. &
gratiâ cap.
36. LXXVIII. Dicit quidem Augustinus: *De sanctâ virgine
Mariâ propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis a-
gitur, habere volo questionem.* Verùm quod de Actuali loquatur
manifestū est ex ipsâ propositâ quæstione, adductis exemplis
& ver-

& verbis proximè subiunctis, quæ tamen ita habent. *Vnde enim scimus quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum?* Augustinus igitur de peccatis B. virginis actualibus dubius est: verùm de originali certus, vt constat ex alijs eius compluribus dictis. De fide ad Petrum c. 36. *Firmissimè tene & nullatenus dubita, omnem hominem qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum peccato originali nasci.* De nupt. & concup. l. i. c. 12. *Christus de viro & foemina nasci noluit, vt hinc etiam doceret, omnem quæ de concubitu nascitur carnem esse peccati, quandoquidem sola quæ non inde nata est, non fuit caro peccati.* l. 5. cont. Iulian. cap. 9. *Quid restat vt intelligamus, nisi carne Christi exceptâ omnem reliquam humanam carnem esse peccati?* Ibidem. *Ille sine vitio natus est homo, quòd hominum nemo.* Item. *Nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu; quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu.* Sed nec plura ex Augustino adscribam, nec adlegabo consensum purioris antiquitatis, quin imò saniorum Scholasticorum, Bonauent. 3. dist. 3. art. 1. quest. 2. Durand. 3. dist. 3. q. 1. Greg. Arimin. 2. dist. 30. q. 1. a. 2. & c.

LXXIX. Quamquam licet Ecclesia pontificia festum immaculatæ conceptionis Mariæ celebret; dicunt tamen nondum ab Ecclesiâ definitum esse quid statuendum sit.

XXC. Vtramq; sententiam probabilem iudicant, neq; pro hæretico haberi volunt, qui alterutram probabiliter adserat aut neget. Ita statuit Sixtus IV A. C. 1483, Pontificatus sui anno 13 (*extrau. Graue, nimis de reliquijs & veneratione sanctorum*) cuius constitutiones innouat Concilium Tridentinum; Et Pius V in constitutione quam edidit de conceptione B. virginis. Concilium quidem Basiliense A. C. 1439. definiuit; verum Bellar. responsionem habet in prom-

tu,

Sess. 5.
Sess. 36.

tu, id Concilium ab Apostolicâ sede probatum non fuisse.
XXCI. Nihil nunc dico de neglectis liquidæ scripturæ testimonijs. De ipsorum constitutionibus dico, quod ijs uniuersos homines ludos faciant.

XXCII. Aiunt nondum ab Ecclesiâ definitum esse; & tamen Ecclesia ipsorum immaculatam Mariæ conceptionem quotannis celebrat & prædicat. Quin etiam Alexander VI, Iulius II & Leo X ordinem quendam religiosum in honorem immaculatæ conceptionis institutum confirmarunt & priuilegijs ornarunt, teste Bellarmino.

XXCIII. Aiunt utramq; sententiam defendi posse pro verâ, & tamen qui alterutram ita veram dicat, ut alteram pro falsâ & erroneâ habeat, (necessariò autem habebit, siquidem contrariam veram existimet) hæreticus continuò est & excommunicatus.

XXCIV. Neq; verò soli Pontificij contra scripturas docent. Idem faciunt Anabaptistæ; cum quibus colludunt Zvvinglius, neq; non aliquo modo Calvinus, atq; fundamenta baptismi infantium conuellunt.

CXXV. Quippe illi docent infantes nasci absq; omni peccato originis, neq; in istorum doctrinâ discrimen video. De fidelium certè propagine etiam Calvinus profitetur, quod sancta nascatur, contra confessionem Dauidis, qui quamuis fidei patre procreatus, nihilo tamen minus *Ecce, inquit, in iniquitate genitus sum, & in peccato concepit me mater mea. Nam quod natum est ex carne, caro est. Ex hoc enim quisque gignit, ut rectè docet Augustinus l. 2. de pec. mer. & remis. c. 9. quod adhuc vetustum trahit inter filios seculi, non ex hoc, quod in nouitate promouit inter filios Dei. Ergò quis dabit mundum de immundo? Ne vnus. Iob. 14, 3.*

1. 4. Instit. c.

16. §. 24.

Antid. in 6.

Sess. Trid.

Pf. 51, 7.

Ioh. 3, 6.

XXCVI. Priusquam progrediamur ad explicandum actuale peccatum monere necesse erit de errore Matthiæ Flacij.

Dispu-

Disputauit ille A. C. 1561 in arce Vinariensi cum Victorino Strigelio, qui vbi huiusmodi argumentum obijciebat: *Nullum accidens potest corrumpere substantiam. Peccatum originis est accidens hominis. E. substantiam humanam corrumpere nequit*: ibi Flacius quum maiorem negare debuisset, Minorem negauit, eoq; prolapsus est, vt peccatum substantiam esse adfirmaret. Neq; postillâ sententiam istam quamtumuis absurdam retractare voluit: vir alioquin doctissimus & laboriosissimus, optimeq; de nobis meritis scriptis longè vtilissimis, Historiâ Ecclesiasticâ, Catalogo testium veritatis, Clauis scripturæ, &c. Natus est in Illyriæ, quæ hodiè Sclauonia, oppido Albonâ A. C. 1520, 3. Martij. In Germaniam venit studio & amore cognoscendæ, quæ tum temporis renascebatur, veritatis A. C. 1539. Obijt Francofurti ad Moenum 11. Martij A. C. 1575. ætatis suæ 56.

XXCVII. Refellitur autem non multo negotio. Paulus ^{Rom. 7, 17.} vbi de peccato originis agit, id in se habitare dicit. Item non ^{v. 18.} habitare in se, h. e. in carne suâ bonum. Item malum sibi adiacere. ^{v. 21.} Rom. 8 vocat inimicitiam aduersus Deum. Ioannes ^{C. 12. v. 1.} *ἀνομιαν*. Epistola ad Hebræos circumstans. Quæ omnia de substantiâ neutiquam dici possunt; de accidente verò rectè dicuntur, adeoq; abundè probant, peccatum originis accidens esse, quod neq; per se subsistat, neq; sit pars subsistentis, sed insit in alio, tamquam in subiecto.

XXCVIII. Peccatum itaq; non est ipse homo, anima, mens, caro; neq; de essentiâ hominis, mentis, carnis: verùm accidens eorum.

XXCIX. Huiusmodi enim quia iustitia originalis fuit, eiusmodi quoq; est, quæ in eius locum successit iniustitia. Nam si hæc & illa formæ essent substantiales, constituerent species diuersas. Homo itaq; qui peccato careret qualis fuit primus ante lapsum & omnes erimus in vitâ æternâ; & homo qui pec-

P

catum

catum haberet, quales nunc sumus omnes: hic inquam ho-
mo & ille homo non numero tantum, sed specie differrent.

Iob. 19.

2. Cor. 15, 10.

XC. Porro Christus in extremo die integrum hominem
refuscitabit; & nos in carne nostrâ Deum videbimus; & re-
portabimus vnusquisq; in corpore nostro congruenter ad id
quod fecerimus vel bonum vel malum. Non autem Christus
peccatum refuscitabit; neq; nos in peccato Deum videbimus;
neq; in coelestem Ierusalem peccatum intrabit, vitamq; & æ-
ternam læticiam participabit.

Ioh 1, 3.

1. Tim. 4, 4.

Gen. 1.

XCI. Demum solus Deus creator substantiarum est, & o-
mnia per filium facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Omnis
autem creatura Dei bona est, & quidem valdè bona. Pec-
catum igitur originis quia bonum non est, à Deo creatum
non est; quia à Deo creatum non est, nec substantia est.

XCII. Manifesta hæresis Manichæorum, adserere pecca-
tum esse substantiam, & hanc Diabolum produxisse. Ita enim
Diabolus quoq; creator erit, & fient duo principia.

XCIII. Peior autem hæresis quàm Manichæorum adse-
rere substantiam humanam esse peccatum, & hanc nihilo-
minus à Deo propagari & conseruari: Ita enim peccatum à
Deo propagabitur & conseruabitur, & DEVS Opt. Max. au-
ctor peccati constituetur.

XCIV. Explicato peccato originali transimus nunc ad ex-
plicandum Actuale. Hoc ex altero pullulat; Eidem tamen
rectè opponitur, quoniam id quidem connascitur, illud au-
tem acquiritur & adsciscitur à nobismetipsis, neq; connasci-
tur, nisi quoad originem.

XCV. Antè autem diximus quod peccatum originis ve-
niat quoq; sub nomen & rationem actualis, quatenus dicens
actum secundum non tantum potentiâ est, siue ad modum
habitus, sed actum elicit. Ita ignorantia connata in ætate non-
dum ad scientiam habili actus est primus, in ætate adultiore

actum

actum adiungit secundum, & verum actualis ignorantia nomen sortitur; Ita in eadem auersio & concupiscentia actualiter se auertit & concupiscit.

XCVI. Hoc itaq; modo tale peccatum actuale est. Originale adpellare licet, quatenus ab istâ radice oritur; atq; hoc sensu Paulus, vbi agit de peccato originis, id esse vult non tam tûm actum primum sed etiam secundum. Hinc non malè ^{Rom. 7.} Scotus: *Originalis culpa est, quaedam habitualis & viciosa concupiscentia, excitans in nobis contra rationem desideria.* ^{2. dist. 30. ad lit.}

XCVII. Motus igitur illi adpetitus cûm irascibilis tum concupiscibilis, quibus tamen renati non adsentuntur, sed pro virili resistunt, præcipuæ in ijs peccati originalis reliquiae sunt, & tolli ex carne naturaliter nullo modo possunt. Quia tamen voluntas contra nititur, neq; se subijcit, non est peccatum contra conscientiam, quod fidem & Sp. sanctum excutiat.

XCVIII. Manifesta autem est *ἀνομία*, quare verum est peccatum, & suâ naturâ in maledictionem legis incurrit. Quoniam verò renatus in Christo vivit, & propter Christum fide adprehensum Deo placet, non quidem id peccatum non est, verum pro peccato non habetur aut imputatur. Nam *nulla est condemnatio his, qui sunt in Christo Iesu, & ambulant non secundum carnem, sed secundum spiritum.* ^{Rom. 8.1.}

XCIX. Notetur hoc loci egregia hæc Augustini sententia: *Sicut, inquit, cæcitas cordis, quam solus remouet illuminator Deus, & peccatum est, quo in Deum non creditur; & pœna peccati, quâ cor superbum dignâ animaduersione punitur; & causa peccati cum mali aliquid cæci cordis errore committitur: ita concupiscentia carnis, aduersus quam bonus concupiscit Spiritus, & peccatû est, quia inest illi inobædientia contra dominatum mentis; & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobædientis; & causa peccati est defectione consentientis vel contagione nascentis.* ^{1.5. cont. Iulianum pag. c. 3.}

C. Hinc habemus primam distinctionem peccati Actualis. Aliud nimirum esse partim originale, partim actuale, modo quo explicauimus: Aliud purè Actuale. Illud inevitabile esse; hoc evitari posse.

CI. Peccatum quod nunc purè Actuale dicimus, quod scilicet à nostrâ actione procedit, aliud Voluntarium est siue deliberatum, aliud Fortuitum siue Involuntarium.

CII. Hoc maximum respectum habet ad peccatum originis, cuius tamquam poena est, quo respectu sublato, numquam tale quid accideret. Vt si quis ligna findens adstantem occidat, excusâ ascia ex manubrio.

CIII. Voluntarium peccatum aliud purè voluntarium est, aliud mixtum.

CIV. Purè voluntarium est quod committitur à scientibus, tale quid peccatum esse & contra legem diuinam, nihilominus tamen idem volentibus & adpetentibus. Atq; hoc peccatum ex *περὸς ἑαυτὸν* est contra conscientiam, regnans, fidemq; & S. Sanctum excutit. Quali quamdiu quis obnoxius est, non habet ille hæreditatem in regno Christi & Dei, neq; vitam in se manentem.

1. Cor. 6, 19.
Gal. 5, 19.
Eph. 5, 5.
1. Joh. 3, 15.

CV. Tale autem committitur vel in proximum, vel in Deum; & in Deum aut Patrem, Filium, aut Spiritum sanctum. *Omne verò peccatum & blasphemia remittetur hominibus, at Spiritus blasphemia non remittetur. Et quicumq; dixerit verbum contra filium hominis remittetur ei, qui autem dixerit contra Sp. Sanctum non remittetur ei, neq; in hoc seculo, neq; in futuro.* Sed de peccato in Sp. sanctum posterius agemus.

1. Joh. 3, 15.
Matt. 12, 31.

CVI. Porro peccatum quod partim voluntarium partim involuntarium diximus, aliud coactionis aliud ignorantia est, & ignorantia vel legum vel circumstantiarum.

CVII. Hæ sunt partitiones peccati actualis desumptæ ab eius causâ efficiente proximâ, nimirum voluntate humanâ.

108. Alia

CIIX. Alia desumi potest ab obiectis circa quæ versatur. Sunt autem aliæ res diuinæ, & aliæ humanæ siue mundanæ; & harū aliquæ intellectu adprehenduntur, vt honor, opes, scientia, aliquæ sensibus, vt cibus, potus, concubitus. Peccatum igitur circa res diuinas est impietas, ignorantia, incredulitas, desperatio, dici potest spirituale. Circa humanas prioris generis ambitio, superbia: Posterioris intemperantia, incontinentia. Carnalia rectè adpellantur, hæc quidem Externa, illa Interna.

CIX. Porrò desumitur distinctio à subiectis, in quibus peccata sunt, aut à quibus procedunt. Ita in intellectu sunt prauæ cogitationes & ignorantia: In voluntate Inuidia, diffidentia: In adpetitu Intemperantia, libido.

CX. Sunt autem horum alia habitus, alia actiones quibus habitus acquiruntur, & quæ per habitus ad quos eduntur. Actionum aliæ immanent vt cogitationes, indignationes: aliæ transeunt vt homicidia, adulteria, furta.

CXI. Præterea sumitur partitio à lege indice peccati. Aliud enim Commissionis cum lege prohibente, aliud cum imperante pugnans Omissionis dici solet.

CXII. Peccata quæ sub hisce partitionibus continentur conueniunt omnia in formali ratione peccati, nimirum in *ἀνομία*, quæ est priuatio conformitatis ad normam legis diuinæ, quæ adesse debebat in intellectu, voluntate & adpetitu; vt & in posituius habitibus & actibus eorundem.

CXIII. Ob quamcumq; itaq; talem priuationem incurrit homo in hanc legis sententiam: *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea.* Deut. 28, 85

CXIV. Quantum igitur ad rationem formalem, non est distinctio peccatorum, nisi secundū magis & minus; neq; enim nos sicut olim Stoici, item Iouianus & Pelagius omnia peccata paria esse docemus, qui scimus ab ipso Christo grauitatem poenarū exasperari secundum grauitatem delictorum, *Matth. 5, 22. Luc. 12, 45.* Verū hoc speciem non variat. 115. Quæ-

CXV. Quamobrem distinctio, quâ peccatum in Mortale & veniale dispescitur, & illud esse dicitur quod maledictionem & mortem meretur; istud quod non meretur, neq; est contra caritatem Dei & proximi, vt docet Bellarminus: hoc inquâ contra scripturam est.

1.2. disp. 6.
q.18. pun.1.

CXVI. Quodcumq; enim cuiuslibet peccatum Deo inimicum est, & naturâ suâ mortem meretur. Est enim *ἀνομία*. Ipse Gregorius de Valentia, *Fatendum est*, inquit, *in primis, quod omnia peccata atq; adeo venialia etiam sint contra legem, ut disertis verbis adfirmat D. Bernhardus.*

Matth. 5, 19.

Quomodo itaq; non sint contraria caritati Dei & proximi? Accedit, quod offendens in vno, reus fiat omnium, *Iac. 2, 10.* Seruator perspicuis verbis: *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno caelorum.*

1. de Parad.
c. 14.

CXVII. Quod itaq; ad eum modum non imputetur, nō est de intrinsecâ ratione ipsius, verum accidit ei, quatenus est in renato, vel quatenus qui peccauit pœnitentiam agit. Si itaq; Mortale sit quod actu mortem inducit, Veniale quod non inducit, quamuis inducere posset; distinctio non est intrinseca, neq; ex naturâ rei, sed extrinseca ab accidentario euentu desumpta. Atq; ita omne peccatum veniale esse posset, quatenus remissio eius per fidem in Christum impetrari potest. *Veniabilis culpa*, ait Ambrosius de ipso Heuæ peccato, *quam sequitur professio delictorum.*

Rom. 6, 12.

CXVIII. Venialia igitur peccata hoc sensu sunt in renatis motus prauis, quibus voluntatem non permittunt succumbere; imò ipsa quæ regnare patiuntur, modò ad pœnitentiam reuertantur, qualia fuerunt adulterium & homicidium Dauidis. Ne autem concupiscentijs succumbamus hortatur Paulus, vbi ait: *Non regnet peccatum in mortali vestro corpore.* Item venialia sunt peccata non renatorum quæcumq; si conuertantur, doleant & Christum fide amplectantur.

CXIX. Quoniâ verò expiari, remitti & deleri non est de essentiâ vllius peccati, neq; vllum peccatum necessario consequitur, satis constat omne peccatum suâ naturâ mortale esse, nullum veniale, nisi ex accidente.

CXX. Postremò de peccato in Sp. sanctum monebimus, quod irremissibile esse supra dictum est. Est autem tale peccatum voluntaria & perseuerans veritatis cognitæ inficiatio & persecutio. Hoc clare colligitur ex Matth. 12, Marc. 3, & Luc. 12, quibus in locis Seruator huius peccati meminit & remissibile esse negat. De eodem intelligenda sunt loca in Epist. ad Heb. c. 6. v. 4. & seqq. & c. 10. v. 26.

00 A 6446


ULB Halle 3
002 935 767




WMA

Retro ✓







12.
DISPUTATIONVM THEOLOGICARVM
QVINCTA,
DE PECCATO.
CVIVS THESES
AVSPICE DEO OPT. MAX.
SVB PRAESIDIO
M. GEORGII CALIXTI
HOLSATI
IN ILLVSTRI ACAD.
IVLIA
X.Kal.Quinctil.
DEFENDET
LV DOLPHVS CALENIVS
TIDENSIS.



Helmstädtij Saxonum
Ex officinâ typographicâ IACOBI LVCII,
ANNO

clb lb cXI.

